

cientiæ securitatem oportere, ut ambo invicem consensum renovent. Quapropter ipse quidem vult libentissimè eam accipere in uxorem, & optat ut ipsa etiam iterùm velit pro marito eum habere; si verò ea tunc quoque suum consensum instauret, firmum erit Matrimonium.

Quæres 8º. si impedimentum quo irritum factum est Matrimonium hujusmodi sit, ut nulla impetrari queat dispensatio, quid agendum erit.

Resp. Si ea impedimenti natura sit, ut concedi nequeat dispensatio; si, v. g. oriatur ex consanguinitate in primo gradu, ex priori Matrimonio quod adhuc subsistit, ex solempni Religionis voto, ex sacris Ordinibus quibus alter conjugum erat constrictus: tunc absque morâ cogendi sunt ambo conjuges ad perpetuam separationem. Curare debet bonæ fidei conjux, ut ipsius Matrimonium declaratur irritum in foro diocesis ecclesiastico (*officialité*) ubi contractum fuerat: alioqui non posset ad novas convolare nuptias. Certum est, si conjux qui irritum esse suum Matrimonium contendit, impedimentum allegaverit juris divini vel naturalis, eum esse ad probationem admittendum; nulla enim est contra utrumque jus illud præscriptio, nec circa hujusmodi impedimentum dispensationem unquam concedit Ecclesia.



DISSERTATIO VI.

De solempnitatibus Matrimonii.

UT solempne sit Matrimonium, præter Parochi & testium præsentiam, parentumque consensum, requiruntur *sponsalia*, gallicè *fiançailles*, & publicæ futuri conjugii proclamationes, quæ *banna* vulgò nuncupantur; de iis duobus ultimis superest ut disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De sponsalibus.

SPONSALIA in Rituali Parisiensi definiuntur, *promissio mutua & deliberata futuri & aliquandò contrahendi Matrimonii, sufficientibus verbis aut signis declarata, inter personas ad contrahendum habiles & idoneas.* Sponsalia duplicis sunt generis, alia in Ecclesia coram Sacerdote, adhibitis solempnibus precum formulis, celebrantur; alia sine Sacerdote inter utrumque sponsum, voce vel scripto fiunt: priora dicuntur *ecclesiastica*, & ubicumque præcipiuntur, sine gravi peccato prætermitti nequeunt; posteriora sunt merè civilia, sive futuri Matrimonii conditiones, de quibus inter conjuges circa bona temporalia convenit, hæcque in multis Galliæ diocesisbus sufficiunt.

Quæres 1º. quæ causæ sint sponsalia Matrimonio præmittendi.

Resp. hoc ita fuisse institutum 1^o. ut, interjecto tempore, deprehendi possit nihilne sit quod futurum Matrimonium dirimat vel prohibeat; 2^o. ut sponsus uterque assiduis orationibus, præmissaque saltem pœnitentiâ, ab obtinendam Sacramenti Matrimonii gratiam sese compararent; 3^o. ut Matrimonium tot incommodis, molestiis & difficultatibus obnoxium, maturiori consilio celebrarent.

Quæres 2^o. quænam sit præmittendorum sponsalium necessitas.

Resp. ea non ita esse necessaria, ut nisi præcesserint, irritum sit Matrimonium: ratio est, quòd consistat in mutua corporum traditione quæ fieri potest sine prævia tradendi promissione, quemadmodum valida est domus venditio, sine præmissio de ea vendenda pacto; res enim qualibet validè datur, quamvis in antecessum promissa non fuerit. Graviter tamen peccaret, qui sponsalia ecclesiastica voluntariè iis in locis prætermitteret, in quibus præcipiuntur; sine peccato enim negligi non potest ritus ab autoritate legitima, & graves ob causas præscriptus, qualia sunt sponsalia.

Quæres 3^o. à quibus validè sponsalia contrahi possint.

Resp. ab iis solis validè fieri, qui intelligunt quid agant: hinc ante septimum ætatis annum jure ecclesiastico irrita sunt sponsalia, quia raro ante hanc ætatem sufficiens est deliberatio: *Pronuntiamus*, inquit Innocentius III, *inter juvenem & puellam sponsalia non fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse.* (*Decretal. pag. 1456.*) Quamvis autem jure communi impuberum sponsalia pro ratis & veris habeantur, hodierno tamen more ad ea non facile, nec sine speciali Superioris licentiâ admittuntur, & quidem merito; septennis quippè ætas nondum judicatur ceteris qui inter homines fieri

fieri solent contractibus perficiendis idonea, propter rationis imbecillitatem; quanto minus igitur censeretur debet contrahendis sponsalibus habilis, quæ in pactioibus humanis præcipuum obtinent locum?

Quæres 4^o. quis sit sponsalium ecclesiasticorum Minister, & quæ sint ipsius erga sponfos officia.

Resp. Sponsalium ecclesiasticorum Minister solus est Parochus, aut Sacerdos sui ejus vices gerit: qua de re consentiunt omnes libri rituales. Parochi autem officium est 1^o. sponsuros de fidei rudimentis interrogare; quæ si nesciverint, neque ad sponsalia, neque ad Matrimonium admittendi sunt, ut præscribunt Rituale Romanum, & S. Carolus tùm in Concilio V Mediolanensi, tùm in instructionibus. 2^o. Debet Parochus à desponsandis inquirere utrùm ab omni impedimento sint liberi, & ea, si quæ sit suspicio, sigillatim exponere; ipsos de Matrimonii sanctitate admonere, ne scilicet reverentiam divino sacramento debitam lædant, & Sacerdotis qui Christi Personam gerit, benedictionem in perniciem suam convertant; debet illos de officiis quæ ad statum conjugalem pertinent certiores facere; ab iis sciscitari utrùm maturo consilio, nemine cogente, ad fidem sibi mutuo promittendam accesserint; eos monebit nihil ipsis amplius post sponsalia licitum esse, quàm antea; contra verò eò cautius ac sanctius vivendum quò majora iis imminet pericula, et propius instat Matrimonii celebratio. Hortabitur ut tempus inter sponsalia & nuptias interpositum, junioris Tobie & Saræ exemplo, in orationibus consumant quibus divinam gratiam advocent. Denique suadebit ut excludatur conviviorum apparatus, quæ ebrietatem, obscœna verba, choreas et alia id genus provocant, quibus Sacramenti gratia extinguitur.

Quæres 5^o. utrùm sponsalia Matrimonii contrahendi obligationem pariant.

Resp. idem de sponsalibus , ac de quovis alio contractu esse debere iudicium : atqui hæc contractuum omnium natura & conditio est , ut statim ac celebrati sunt , vim obligandi habeant , & contrahentes iis stare teneantur ; pariter ergo sponsalia ex mutuo consensu pacta liberandæ fidei obligationem important : *Ex tali promissione , inquit S. Thomas , obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum , & peccat mortaliter non solvens promissum , nisi legitimum impedimentum interveniat. (In 4. dist. 27. q. 2. art. 1. ad 2.)*

Quæres 6^o. utrum ad Matrimonium cogendus sit , qui datam in sponsalibus fidem exsolvere sine iusta causa renuit.

Resp. 1^o. eum in conscientiæ foro per absolutionis dilationem compelli debere ; ratio est , quod absolvi nequeat , qui gravis iniustitiæ reus est , eamque reparare detrectat : atqui ex dictis , talis est qui datam in sponsalibus fidem frangit ; ergo , &c.

Resp. 2^o. eum tamen non esse in foro exteriori cogendum , propter gravia quæ ex conjugii non satis liberè factis sequuntur incommoda. Ita statuit Lucius III , qui consultus quæ censurâ compelli debeat mulier quæ , violatâ juramenti religione , huic nubere renuit cui se nupturam interposito juramento promiserat , sic respondet : *Cum libera esse debeant Matrimonia , monenda est potius mulier , quàm cogenda , cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. (Decretal. pag. 1431 & 1432.)* Talis est apud nos ecclesiastici fori jurisprudentia : unde per censuras non compellitur sponsus ad Matrimonium , quamvis nullam habeat resiliendi causam ; sed *Officialis* , postquàm omnem operam frustra navavit , ut eum ad ianiorum mentem reducat , multam pecuniariam ipsi imponit , pauperibus erogandam : si sunt ipsius potestatis limites , Ad laicum enim Judicem recurritur , qui

de refarciendis illatis hæc perfidiâ damnis pronuntiet.

Quæres 7^o. quænam sint dissolvendorum sponsalium causæ.

Resp. Plurimæ sunt quas seorsim exponemus.

CAUSA I.

Solvuntur sponsalia ex mutuo liberoque sponforum consensu , quo sese invicem ab implendæ promissionis obligatione liberos faciunt ; modo tamen sint puberes. Nequeunt enim impuberes , etiam ex mutuo consensu , à vinculo sponsalium eximi , idque prudenter statutum , ne scilicet propter puerilis ætatis levitatem et inconstantiam , nova sæpius contrahant sponsalia & rescindant.

CAUSA II.

Cum sponforum alter Religionem aliquam ingreditur , sponsalia dirimuntur ex parte illius qui in sæculo remanet , & cui proinde licitum est , non expectatâ alterius professione , cum alio contrahere , sed minimè dirimuntur ex parte illius qui Religionem ingressus est ; si ergo solemnità non emittat vota , debet fidem datam servare , cum alter perierit.

Prob. prima pars , quia sponsus per suum in Religionem ingressum declarat se juri suo renuntiare , dum statum amplectitur qui sociari non potest cum ejusdem juris usu ; ergo qui in sæculo remanet à contracto debito solvitur ; durum enim esset eum toto plerumque anno incertum professionis tempus expectare.

Prob. secunda pars , 1^o. quia in Religionem ingressus , nec inhabilem facit ad Matrimonium , nec probat sponsum alterum qui in sæculo remanet juri suo renuntiare ; 2^o. quia jure canonico

sponsalium dissolutio soli Religionis professioni tribuitur; 3^o. quia sic institui debent leges, ut non pateat fraudi aditus: pateret autem in hypothefi contraria, cum unicuique, ut à sponsalium jugo liber fieret, satis esset Religionis habitum induere, paulò post exuere, & cui vellet nubere.

CAUSA III.

Certum est per sacros Ordines receptos dirimi sponsalia, quia Matrimonium excludunt, ut alibi probavimus: non solvantur autem per Ordines Minores ex parte viri; tum quia id nullo jure statuitur; tum quia eos Ordines qui nullum pariunt vinculum, recipiendi facilitas latum dolis & fraudibus aditum aperiret.

An verò per simplex castitatis votum dissolvantur sponsalia, disputant Theologi. Utraque sententia insignes habet defensores; sed longè probabilior videtur eorum opinio, qui negant in casu de quo agitur dirimi sponsalia. 1^o. Quia ita docet S. Antoninus: *Si sponsalia præcedunt votum castitatis, tunc votum non impedit, vel dirimit sponsalia.* (3. part. tit. I. cap. 10. sect. 2.) 2^o. Quia ex vulgata juris regula, non licet votum cum alterius injuria emittere: atqui gravem injuriam alteri infert, qui post sponsalia votum castitatis emittit; ergo non valet hujusmodi votum, nec dirimit sponsalia: Deus enim coli non vult cum alterius injuria. 3^o. Quia in sententia quam refellimus, obligationem quam pariunt sponsalia facilius esset eludere; sponsis enim quos initi fœderis pigeret, in promptu foret castitatem Deo vovere. 4^o. Quia non debet nova dirimendorum sponsalium causa induci sine Ecclesiæ decreto: atqui nullâ Ecclesiæ lege sancitum est, ut votum castitatis sponsalibus superveniens eadem dissolvat.

Objiciunt adversarii 1^o. S. Thomam qui sic pronuntiat; *Propter votum simplex castitatis sunt spon-*

salia dirimenda; (Supplem. q. 43. art. 3. ad 1.) 2^o. S. Antoninum cujus hæc sunt verba: *Si duo vincula disparis potentiae impossibilia contrahantur, fortius repellit minus forte: (ubi suprâ.)* atqui fortius est vinculum voti, quàm promissionis homini factæ, etiam juramento confirmatæ; 3^o. in sponsalibus subintelligi conditionem hanc, *nisi meliorem statum elegerint*: atqui status castitatis conjugali præstat.

Resp. Hæc argumenta non videri satis gravia: 1^o. enim verba S. Thomæ de voto quod sponsalia præcesserit intelligi possunt, sicque ab insignibus nonnullis ejus discipulis accipiuntur, & saltem sunt æquivoca; non possunt igitur expressam S. Antonini suprâ laudati autoritatem elidere; 2^o. non fortius est vinculum quod nullum est: atqui nullum est castitatis votum simplex post sponsalia factum; siquidem non sine gravi alterius injuria emittitur, fraudique latam aperit viam; 3^o. factentur adversarii, saltem plures, non posse desponsatum sine alterius partis libero & maturo consensu, simplicem, id est, sine adjuncto voto, calibatus statum amplecti: atqui tamen melior est statu conjugati; ergo non possunt adversarii in suâ opinionis gratiam asserre generalem hanc conditionem, quam volunt in sponsalibus subintelligi, *nisi meliorem vitæ statum elegerint.*

CAUSA IV.

Dirimuntur sponsalia per subsequens Matrimonium cum alio contractum; tum quia ita declarat Gregorius IX: *Matrimonium non potest separari intuitu desponsationis de futuro, etiamsi juramentum intervenerit;* (Lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 31. pag. 1444.) tum quia Matrimonium est vinculum quibuscumque sponsalibus fortius: qui tamen hujusmodi Matrimonium contraheret, gravissimè contra justitiam peccaret, fidem in sponsalibus obligatam violando.

Sed aliud esse debet iudicium de secundis sponsalibus, quæ prima dissolvere non possunt: posteriora enim nulla sunt & invalida, quia contra fidem alteri datam cum gravi illius injuria contrahuntur. Hæc tamen de eo intelligenda sunt, qui ad secunda spolia transit: alter enim sponsus innocens à fide data liber evadit. Nam perfidus qui novis sese obstringit sponsalibus, palam testatur se prioribus renuntiare.

CAUSA V.

Dissolvuntur sponsalia per affinitatem supervenientem, sive carnalis illa sit, v. g. quia sponsus rem habuit cum suæ sponsæ consanguineâ in primo vel secundo gradu; sive spiritualis, quia de sacro Baptismatis fonte filium sponsæ suscepit. Ratio est, quia inter eos non potest consistere Matrimonium propter affinitatem illam quæ, ut jam diximus, est impedimentum dirimens.

CAUSA VI.

Constat apud omnes, si desponsatorum alteruter in fornicationem incidat, hoc crimen ad sponsalium dissolutionem sufficere; quia, juxta regulam juris in Sexto, *frustrâ sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*. Hæc autem dirimendorum sponsalium facultas soli competit innocenti, non reo: ut enim alia fert juris regula, *nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest*: meliorem autem faceret reus, cui propter crimen suum liceret resilire. Quapropter si puella sponsam, licet violatâ fidei reum, ad conjugium compellere velit, is tenebitur obsequi, vel damnum compensare.

CAUSA VII.

Si sponsus absque consensu sponsæ, domicilium

in aliam civitatem transferat, vel in regionem distitam commigraverit, potest sponsa fidem alii dare; rem ita definit Alexander III: *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea dimitunt terram, se ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre.* (Lib. 4. Decretal. tit. 1. cap. 5. pag. 1422.) Præterea sponsus inconsultam dimitteus sponsam, & aliò se conferens, censetur illius amicitiam aspernari, suoque in eam juri renuntiare.

Si tempus inter contrahentes præfixum fuerit, hoc elapso, resilire ei licitum est per quem non stat quominus celebretur conjugium, quia ex juris regula, *contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur*; cum ergo contractus sub eo pacto initus est, ut cuique contrahenti liberum esset post certum tempus resilire, non peccat qui jure suo utitur.

Quidam tamen casum excipiunt, in quo mora sponsi esset planè extra culpam, qui ex jure non dissolvuntur sponsalia, nisi ex parte illius *per quem non stetit quin ad statutum tempus Matrimonium consummaverit*, id est contraxerit. (Ibid. cap. 22. pag. 1436.) Atqui ubi sponsus sine ulla culpa moram facit, per eum non stat quominus contrahatur Matrimonium. Nonne inhumana videretur sponsa quæ suam promissionem revocaret, quia sponsus ipsâ quâ nubendum erat die non adfuit, quòd patrem morientem inviserit, vel tumulo mandaverit? Aliter verò sentiunt nonnulli Theologi: tunc saltem consulendus est Juxda ecclesiasticus qui dissolutioni non acquiescet, nisi deprehendat sponfos mentem à se invicem alienam & averfam gerere, & idèò datam resiliendi occasionem vel pratextum arripere.

CAUSA VIII & IX.

Cum adversus sponsalia ante annos pubertatis contracta reclamant puberes, ipsorum dissolutionem obtinent. Huic enim tenellæ ætati id privilegii leges concessere. Ad sponsalium etiam dissolutionem sufficit notabilis rerum mutatio. Ratio est, quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem: atqui sponsi non censentur Matrimonium sibi mutuo polliceri, nisi sub tacitâ saltem hac conditione: *Modò res in eodem statu permanferit, vel modò non contigerit insignis rerum mutatio.* Itaque dissolvi poterunt sponsalia, cum alteruter contrahentium in lepram, paralyfim, aut cæcitatem incidere; item quando notabilis deformitas, qualis est alicujus membri mutilatio, supervenit: idem dicendum de bonorum jactura, & fortunæ subversione; ut si quis ex divite factus sit pauper. Locum etiam, habet dissolutio, cum aliquid ex iis quæ diximus, vel aliud simile antea latens, post sponsalia detegitur, ut quando puellam quæ putabatur legitima, nobilis, dives, virgo, talem non esse comperitur; quia in hac hypothesis gravis est rerum mutatio respectu ignorantis.

Quæres ultimò, possintne ante Matrimonii celebrationem sponsus & sponsa in eadem domo vivere.

Resp. eos graviter esse commonendos, ut ab omni familiaritate abstineant, utque simul eo tempore non commorentur, quod inter sponsalia & Matrimonii celebrationem elapsurum est. Quantis enim malis occasionem præbere soleat illud confortium, testatur experientia, eheu nimium frequens! Sub Matrimonii quantociùs contrahendi spe, in antecessum contaminatur Sacramenti sanctitas; dumque prævertuntur jura Matrimonii, violantur. Quapropter hortatur sancta Synodus, inquirunt

Patres Tridentini, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. (*Sess. 24. de reform. matr. cap. 1.*) Concilium etiam Mediolanense VI sub S. Carolo, sic jubet: *Episcopi cura sit penis & censuris quas arbitrato suo constituerit, sancire ne sponsi priusquam Matrimonium in Ecclesia celebraverint, non modò simul non habitent; sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine, commerciove utantur.* (Tom. 15. Concil. pag. 743.)

CAPUT II.

De Bannorum promulgatione.

BANNORUM promulgatio, vel potius *bannum* publica est proclamatio, seu monitio futuri inter tales personas Matrimonii, coram frequenti populo facienda. Quo sæculo inceperit illius promulgationis ritus incertum est. Cum ad vitanda incommoda quæ ex clandestinis conjugii nascuntur, usus invaluisset quibusdam in Galliarum Ecclesiis, Matrimonia coram universa plebe denunciandi, Concilium Lateranense IV an. 1215 specialem illam quorundam locorum consuetudinem, in alias Ecclesias generaliter innoxit.

Quæres 1^o. quibus de causis instituta sit bannorum promulgatio.

Resp. id factum ob multas & graves causas; 1^o. ut excluderentur conjugia clandestina; 2^o. ut detegantur Matrimonii, si quæ sint, impedimenta; 3^o. ne filii familias sine parentum consensu Matrimonia contrahant; 4^o. ut creditoribus hypothecariis qui à suo jure per Matrimonium excide-

rent, detur facultas sese debitoris sui nuptiis opponendi; 5^o. ut fideles de futuro conjugio præmoniti, cœlestem in sponfos benedictionem suis precibus alliciant; quod ut præstet, à Pastoribus invitari debet populus christianus.

Quæres 2^o. utrum necessaria sit bannorum proclamatio.

Resp. eam necessariam esse 1^o. jure ecclesiastico: Concilium enim Tridentinum, Lateranensis Synodi vestigiis inhærens, præcipit *ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemniam publicè denuntietur inter quos Matrimonium fit contrahendum.* (Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.)

2^o. Jure civili, Regum scilicet nostrorum Edictis, & maxime Blesensi ubi Henricus III sic jubet: *Ad occurrendum abusu & damnis quæ ex Matrimonii clandestinis oriuntur, decernimus fore ut subditi nostri cujuscumque status, qualitatis & conditionis existant, contrahere validè non possint Matrimonium sine publicis bannorum promulgationibus, factis tribus diversis diebus festis, cum competenti temporis intervallo.* (Guénois, art. 4. tom. 1. pag. 705.)

Quamvis autem certum videatur hanc fuisse regionum Edictorum, & maxime Blesensis, mentem, ut solâ proclamationis omissione irritum fieret Matrimonium, contrariam tamen nostrâ ætate receptam esse jurisprudentiam sic asserit posterior Fevreti Scholiastes: *On peut avancer que selon la jurisprudence de notre temps, le défaut seul de la publication des bans ne rend pas nul un Mariage contracté entre majeurs, avec toutes les autres formalités.* (Traité de l'Abus, tom. 2. p. 319.)

Quæres 3^o. quo tempore banna promulgari debeant.

Resp. hæc tribus continuis diebus festis denuntianda esse, juxta Concilium Tridentinum, & quidem inter Missarum solemniam, propter majorem populi concursum. Hæc autem verba: *tribus continuis diebus festis*, non sic accipienda sunt, ut banna tribus quæ proximè se contingunt festis, Paschatis, v. g. vel Pentecostes, proclamari debeant. Dies enim plena, vel inter promulgationes singulas; vel inter secundam & tertiam, pro varia locorum consuetudine, debet intercedere: quinimo inter ultimam proclamationem, & Matrimonii celebrationem interjiciendum est aliquod temporis intervallum; quod ita constitutum est; ut detur ad denuntiandum impedimentum, si quod fuerit, tempus sufficiens.

Quæres 4^o. quo in loco fieri proclamationes oporteat.

Resp. 1^o. In propria utriusque contrahentis Parochia fieri debent. 2^o. Si alteruter vel uterque contrahens ex alia diocesi migraverit, & in Parochia ubi nunc residet, per annum integrum non fuerit commoratus, tunc banna in iis etiam Parochiis promulganda sunt, in quibus ante suam migrationem habuit domicilium. Idem erga eos faciendum est, qui non ex alia quidem diocesi, verum ex alia ejusdem diocesis Parochia venerunt, si in ea quam incolunt Parochia sex menses completos non transegerint. 3^o. Banna minorum, qui scilicet 25 ætatis annum nondum complevere, non in Parochia tantum in qua *de factò* commorantur denuntianda sunt, sed etiam in parentum, tutorumve aut curatorum Parochia, ubi juris domicilium habent. 4^o. Si nupturi æquale duobus in locis, intra eandem diocesim, domicilium habeant, in utroque proclamanda sunt banna, nisi jam à sex mensibus in loco versentur, ubi conjungendi sunt. 5^o. Famulorum conjugia in suorum dominorum Parochiis sunt publicanda.

Quæres 5^o. à quo faciendæ sint illæ denuntiationes, & quid præcavendum sit.

Resp. banna nonnisi à proprio contrahentium Parocho, vel ab eo quem ad illud munus designaverit, esse denuntianda: idem potest Vicarius. Hæc autem à Parocho sunt observanda: 1^o. minorum banna nunquam proclamet, nisi de parentum tutorumve consensu certus fuerit; 2^o. nec banna, nisi perierint ipsimet nupturi, promulgabit, ne alieni id ipsorum nomine ad ritum vel probrum postulent; qui tamen si institerint, requireret ut postulationem hanc suo chirographo muniant; 3^o. si concessa fuerit, aut concedenda speretur duplicis aut unius banni immunitas, fideles admonerit ut si quid revelandum habeant, id facere quantocius festinent; 4^o. cavebit ne ipsa postremæ denuntiationis die, sponso Matrimonio jungat sine speciali Episcopi licentiâ, propter rationem quam supra exposuimus.

Quæres 6^o. quam obligationem fidelibus importent bannorum denuntiationes.

Resp. eos ad impedimenti cujuscumque, etiam prohibentis, si quid noverint, revelationem teneri. 1^o. Quia debent, quantum possunt, impedire ne Sacramentum profanetur, Matrimonii que usus in peccatum vertatur: atqui utrumque illud malum ut avertant, impedimenta, non dirimentia tantum, sed etiam prohibentia revelent necesse est. 2^o. Tenentur fideles Ecclesiæ præcipienti morem gerere, & præsertim in re gravi: atqui de manifestandis Matrimonii impedimentis extat præceptum Ecclesiæ, quod unicuique à Parocho denuntiatur, quando nuptias meditates proclamat. Præterea mandatum illud est de re gravissima, cum eo spectet ut Sacramenti sanctitati proximique saluti consulatur; ergo, &c. 3^o. Quia nolle impedimentum cognitum detegere, idem est ac pravè nubentium iniquitati & sacrilegio consentire, pe-

catilque omnibus ex illicito Matrimonio fecuturis: peccant verò non ii solum qui malè agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, ut testatur Apostolus. (Rom. I.)

Quæres 7^o. quinam sint à revelandi obligatione immunes.

Resp. ab ea lege eximi 1^o. Confessarios quibus per sacramentalem confessionem impedimentum cognitum fuerit; quia *maius est vinculum Sacramenti Pœnitentiæ quolibet hominis præcepto*, ait S. Thomas, (2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2.) 2^o. Qui impedimentum norunt, quia de re ista consilium ab iis peritum est, quales sunt Parochi, Doctores, Advocati; vel ratione professionis suæ, ut Medici, Chirurghi, Obstetrices: ii enim omnes si frangant secreti fidem, tota perturbabitur Respublica, consiliis præcludetur omnis aditus, quia nemo erit quem in rebus arduis & difficilibus tuto liceat interrogare. 3^o. Qui sine propriâ sui ipsius infamiâ, vel alio gravi damno non possunt impedimentum detegere: tales sunt ii qui criminis participes fuerunt; item famuli quibus, si herum suum prodant, imminent mors, jactura quædam gravis, &c. In dubio prudenter se gerit qui sapientem Confessarium, quandoque & Episcopum ea de re consulerit.

Quæres 8^o. an repetendæ sint bannorum proclamationes, si Matrimonium plures in menses differatur.

Resp. Rituali Romano ita præscribitur: *Si infra duos menses post factas denuntiationes, Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur*. Idem jubet Synodus V Mediolanensis sub S. Carolo: quibusdam tamen in locis non iterantur, nisi Matrimonii procrastinatio tres aut quatuor, imò sex menses, ut Parisiis, excefferit. Illius instituti ratio est, quòd

fieri possit ut qui, post factas denuntiationes, Matrimonium notabili temporis intervallo differunt, in aliquod impedimentum incurrerint.

Quæres 9^o. utrùm à bannorum promulgatione quemquam eximere interdùm liceat.

Resp. id aliquando licitum esse: illæ enim denuntiationes sunt juris humani duntaxat: atqui ea est legum humanarum conditio, ut relaxari possint, cum id postulant graves causæ. Prætereà ita decernitur à Concilio Tridentino, à quo vel etiam integra denuntiationum remissio, *Episcopi prudentiæ & judicio relinquitur.* (Sess. 24. de reformat. Matrim. cap. 1.) Quamvis autem Edicto Blesensi generatim prohibeatur, ne à bannis immunitas possit obtineri, nisi post factam primam proclamationem, ubique nihilominus receptum est, posse aliquando sponso à tribus bannis liberos fieri. Id probat Fevreti interpres multis Senatûs Parisiensis decretis. (Tom. I.) Quædam tamen sunt dioceses in quibus nunquam conceditur triplex hæc dispensatio, quia id vetant statuta.

Quæres 10^o. cujus sit dispensationem hanc concedere.

Resp. facultatem hanc ex jure ordinario penes solos Episcopos esse, quorum scilicet prudentiæ & judicio rem illam permittit Tridentina Synodus. Idem tamen possunt Vicarii generales, nisi id sibi reservaverit Episcopus; ut potè quorum una & eadem sit potestas cum episcopali. Quemadmodum autem ex gravissimis rationibus legem de nuptiis proclamandis instituit Ecclesia, ita non nisi propter urgentes causas fieri debet illius relaxatio. Quà in re maturum judicium, summamque prudentiam adhibere debet Episcopus, cujus arbitrio hujusmodi dispensationes commisit Tridentina Synodus.

DISSERTATIO VII.

De Matrimonii usu licito vel illicito.

QUÆRES 1^o. an conjuges in eo quod spectat ad debitum conjugale, sibi invicem obsequi teneantur.

Resp. Tenetur quilibet conjux alteri debitum legitime petenti reddere, sic jubente Apostolo: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & viri sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi.* (1. Cor. 7. v. 3. 4. 5.) Quilibet ergo conjugum ex justitia tenetur alteri debitum legitima de causa postulanti reddere, ac proinde sub peccato mortali; tum quia sic obligat virtus justitiæ in gravi materiâ, qualis est ista; tum quia ex denegato hujusmodi debito multa imminent pericula, nempe incontinentiæ, rixarum, odii & similia.

Hinc asserit S. Antoninus, *esse mortale in denegante debitum petenti omnino, si non habeat causam rationabilem excusantem.* (3. part. tit. 1. cap. 21. §. 7.) Videtur tamen hanc recusationem aliquando, propter materiæ levitatem, à peccato mortali excusari posse, si nimirum conjux non adeo anxie petat, & dilationem facile concedat, nec adfit incontinentiæ periculum.

Quæres 2^o. quibus ex causis illicitus esse queat actus conjugalis.

Resp. variis ex causis illicitum esse potest debitum conjugale vel petere, vel reddere, scilicet ratione

finis, temporis, damni imminens, impediti, dubii.

Quæres 3°. quandonam ratione finis illicitus sit actus conjugalis.

Resp. *Duobus solis modis*, inquit S. Thomas, *conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi, aliâs autem semper est peccatum ibi ad minus veniale.* (in 4. dist. 31. quæst. 2. in corp. art. 2.) Culpâ igitur non vacat actus conjugalibus ubi non exercetur nisi captandæ voluptatis causâ. Non illicita quidem est delectatio quæ ex Matrimonii usu percipitur, quemadmodum nec ea quam in fumendis alimentis experimur: sicut verò peccat qui in cibis adhibendis solam quærit voluptatem, quia finem à natura præscriptum invertit; sic neque culpâ caret, qui in actu conjugali solâ ducitur voluptate. Hinc Innocentius XI istam quorundam Casuistarum propositionem an. 1679 damnavit: *Opus conjugii ad solam voluptatem exercitum omni prorsus culpâ caret, ac defectu veniali.*

Quid autem de eo sentiendum est qui Matrimonii usum non adhibet, nisi ut propriæ incontinentiæ periculum effugiat?

Resp. eâ de re unanimem prorsus non esse Theologorum doctrinam: sed numero & autoritate prævalet eorum sententia, qui conjugem de quo agitur culpæ venialis expertem non esse affirmant. S. Augustinus expendens hæc Apostoli verba, *Iterum revertimini in idipsum* (Matrimonii usum), *ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundum indulgentiam, sic docet: Putari posset non esse peccatum misceri conjugii, non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed . . . etiam . . . ut fornicationis . . . mortiferum malum . . . devitet infirmitas; posset . . . hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset (Apostolus): Hoc autem dico secundum veniam, non*

secundum imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus, apostolica autoritas fateatur? (Enchirid. cap. 78.)

Eadem est S. Fulgentii doctrina: *Maculam, inquit, contrahit . . . quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis, suæ miscetur uxori.* (Epist. 1. cap. 3. & 4.) Ita sentiunt S. Bonaventura (in 4. dist. 31. art. 2. quæst. 2. ad 1. n. 24.); S. Thomas cujus ista sunt verba: *Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem, in se . . . hoc est peccatum veniale, nec ad hoc est Matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam quæ est de peccatis venialibus.* (in 4. dist. 31. art. 2. ad 2.) Ratio est quod naturalis nuptiarum finis sit liberorum procreatio. *Numquid autem hoc non est peccatum, inquit S. Augustinus, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjugate debitum? Est quidem peccatum.* (Serm. 51.) Præterea qui Matrimonio utitur ad compescendos ignes libidinis, concupiscentiæ obsequitur quam oratione & piis operibus refrenare posset.

Quæres 4°. utrùm actus conjugalis fieri possit illicitus ratione temporis sacri.

Resp. Ita sentiunt ex SS. Patribus plurimi: *Paulus Apostolus, inquit Innocentius I Papa, ad Corinthios scribitis dicens: Abstineretis vos ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utique præcipit laicis, (Can. Proposuiti, dist. 82.)*

S. Thomas: *Actus matrimonialis, . . . quia rationem deprimit, propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia, & idè in diebus in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.* (Supplem. quæst. 64. art. 5. in corp.)

S. Bonaventura: *Debitum conjugale reddi potest sine omni culpa in illis diebus festis, dum tamen reddatur cum displicentia & dolore; peti autem non potest sine culpa.* (In 4. dist. 31. part. 3. quæst. 2. in corp.)

S. Antoninus: In diebus sacris *exigens debitum non peccat mortaliter; sed veniale potest esse, nisi hoc faceret in contemptum Festi vel Ecclesiæ, quia tum mortale esse potest; sed reddens in nullo peccat, quia tenetur ad hoc de necessitate.* (Part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 7.) Cum enim actus conjugales animam deprimant, ad Dei que obsequium tardam & hebetem efficiant, quoniam tempore ab iis magis abstinendum est, quam eo quod Deus suo cultui specialiter consecratum voluit?

Quæres 5º. an liceat debitum conjugale petere vel reddere, cum uxor naturali laborat infirmitate, quæ certis temporibus propria est mulieribus.

Resp. Id esse illicitum unanimes docent Theologi cum S. Thoma qui ita pronuntiat: *Quando mulier patitur fluxus menstruorum, . . . prohibendum est ad eam accedere, & similiter prohibendum est mulieri in tali fluxu debitum petere.* (In 4. dist. 32. art. 2. quæst. 2. in corp.) Utrum verò peccatum illud mortale sit, an veniale tantum, non convenit inter Theologos. Existimant non pauci eum lethaliter peccare, qui ad mulierem in eo statu positam accedit, 1º. quia adversus hujusmodi actum Scriptura mortis pœnam constituit, tum in conjugem qui debitum reddit, tum in eum qui exigit. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio populi sui.* (Levit. 20. 18.) 2º. Quia inde plurimum vitii & deformitatis trahit proles nascitura: ita sentiunt S. Bonaventura, Alexander Alesius, Petrus Soto, & alii.

È contrario multi, ut Paludanus, Caietanus, Dominicus Soto, in casu de quo agitur non agnoscunt nisi culpam venialem. Interdictionem quæ Levitici cap. 20. legitur, partim ceremonialem & judicialem, partim moralem esse opinantur. Quatenus ceremonialis & judicialis, sub gravi peccato & pœnâ Judæos obligabat, verum per legem evangelicam abrogata est: quatenus mora-

lis, inquit, christianos obligat quidem, at sub peccato veniali tantum. Præterea negant factum quidquam vitii inde contrahere, & quotidianam opponunt experientiam. Denique, juxta S. Thomam, inquit, peccat maritus qui actum conjugalem extorquet, minime verò uxor, quæ reluctans & veluti coacta, conjugis intemperantiæ servit, ne eum in exitialis incontinentiæ periculum conjiciat. *Finabiter*, ait S. Doctor, *si vir non desistit à petitione, debet (uxor) debitum reddere poscenti.* (In 4. dist. 32. quæst. 1. art. 2.) Numquid verò uxorem pronuntiaret innoxiam, si mortaliter peccare virum censuisset? Huic S. Thomæ sententiæ adhærendum esse putat Habertus. Utramque opinionem exponit Jueninus, verum à ferendo judicio cautus abstinere.

Quæres 6º. quandonam Matrimonii usus ratione damni sit illicitus.

Resp. Non licitus est cum inde imminet vitæ aut gravis aegritudinis periculum. Se habet enim debitum conjugale sicut alia justitiæ debita, quæ tanto cum incommodo non obligant. Præterea nemo vitæ suæ dominus est, & illius tuendæ curam quisque sibi habet à natura impositam. *Vir*, inquit S. Thomas, *tenetur uxori reddere debitam in his quæ ad generationem prolis spectant, salvâ tamen prius incolumitate personæ.* (In 4. dist. 32. art. 1. in corp. & ad 2. quæst. 1.) Quamobrem non tenetur conjugis debitum leproso petenti reddere, si Medicorum judicio id fieri nequeat sine gravi contagionis periculo.

Quæres 7º. utrum viro liceat ad uxorem gravidam accedere.

Resp. in casu proposito mortaliter peccare ambos conjuges, si perimendi foetus periculum addit. *Imitentur*, inquit S. Hieronymus, *saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant*

filios. (*Lib. 1. contra Iovinianum, cap. ult.*) Si verò periculum illud abfuerit, veniale faltem peccatum est in exigente. Hieronymus, ait S. Thomas, vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortus. (*In 4. dist. 31. in fin.*) Juxta S. Antoninum potest exigi deditum in dicto casu absque mortali: sed ubi esset periculum probabile abortus, nec debet exigi, nec reddi, aliàs esset mortale. (*Part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 4.*)

Quæres 8^o. an tempore puerperii five purgationis mulieris, debitum conjugale petere liceat.

Resp. Quæstionem hanc sibi ab Augustino Anglorum Apostolo propositam ita solvit Gregorius Magnus: *Mulieres, nisi purgationis tempus prius transferit, viris suis non debent admisceri (Ad interrog. Aug. cap. 10.)* Id licitum non esse ait Sylvius paritè ob mulieris indispositionem, paritè ob nocumentum prolis jam natæ, vel ejus quæ nasci posset; . . . si tamen tali tempore congregiantur, non videtur esse mortale, nisi aliquod æannum inde sit rationabiliter tinendum, (*in supplem. quæst. 64. art. 7.*) si, v. g. probabile sit lac maternum quo infans alitur, actu conjugali tunc ita viuari, ut grave damnum puero inferatur.

Quæres 9^o. an mulier quæ hastens mortuos edidit filios, ab usu Matrimonii teneatur abstinere.

Resp. Quidam Theologi, inter quos Sylvius, contendunt sub peccato mortali illicitum esse conjugibus, in eo casu debitum petere vel reddere, etiam ad vitandum grave incontinentiæ periculum; quia scilicet iis alia non desunt remedia, quibus uti debent in alterutrius conjugis absentia vel infirmitate.

Alii verò plures inter quos eminent D. de Sainte-Beuve, (*tom. 3. cas. 151.*) docent citrà culpam

posse conjuges uti Matrimonio, & peccare uxorem si marito petenti debitum pertinaciter denegat. Quæ sententia videtur anteferenda. Non semel enim accidit, ut mulier quæ pluriès abortum fecerat, tandem feliciter pariat. Testatur ibidem D. de Sainte-Beuve, sibi cognitam fuisse mulierem, quæ post quinque aut sex abortus, duas faustè edidit filias, tempore quo scribebat Matrimonio junctas. Præterea sæpè abortus ex culpa conjugum accidunt, qui ultra modum nuptiis utuntur. Hæc enim intemperantia nocet absolutæ foetus conformationi, & mulieris vires ita debilitat, ut partum edere non valeat. Denique foetus incolumitati aliquando non satis consulunt mulieres, dum, v. g. uterum arctius constringunt, ne gravidæ videantur, vel nimia deferunt onera.

Quæres 10^o. an possit debitum petere conjux qui cum aliterius conjugis in primo vel secundo gradu consanguineis affinitatem ex delicto sciens & volens contraxit.

Resp. Non potest donec dispensationem obtinuerit: per illud enim delictum suo jure excidit. Ita sancitum est cap. 1. de eo qui cognovit, ubi sic decernitur: *Si quis cum filiastra sua (belle-fille) scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere potest; & si petat, uxor non tenetur reddere.* Non potest tamen debitum alteri conjugi denegare, qui non fuit iniquitatis particeps. Ille enim, ut potè innocens, jure suo fraudari non debet.

Quæres 11^o. quid conjugibus licitum aut vetitum sit, cum occurrit dubium an valeat Matrimonium.

Resp. 1^o. si dubium leve sit, nullaque probabili ratione innixum, tunc explosa, & quidem ad Pastoris sui consilium, conscientia levis & temeraria credulitatis, licitè potest dubitans, non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Ita Innocentius III. (*Cap. 44. de sent. excomm.*) ibi notandum

explodendam esse hanc dubitationem, quia non licet contra conscientiam agere.

Resp. 2^o. Si grave dubium de nuptiarum veritate eas præcesserit, dubitans reddere debitum poterit, non verò petere: reddere quidem, qui enim bonâ fide rem possidet, eâ propter malam alterius fidem non spoliandus est: atqui conjux qui nullam habet de Matrimonii veritate dubitationem, bonâ fide rem suam, id est, alterius conjugis corpus, possidet; ergo, &c. Præterea sic Lucius III Papa statuit: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, et qui sibi nupsit debitum non denegat postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* (cap. 2. de secundis nuptiis.) Ex ultimis autem hujus capituli verbis liquet non posse dubitantem debitum petere; alioqui fornicationis periculo sese exponeret, dum illud declinat ab eadem petitione abstinendo; partem igitur sequi debet tutiorem.

Si verò uterque conjux Matrimonium ineundo an validum esset graviter dubitaverit, neuter debitum exigere debet aut reddere. Uterque enim prudenter dubitat an corpus alterius sit suum. Præterea in casu præcedenti ideò licitum est reddere debitum conjugi postulanti, quia iste, ut potè bonæ fidei possessor, jure suo non spoliandus est: atqui cum ambo pariter dubitarent de Matrimonii veritate dum illud inierunt, neuter est bonæ fidei possessor; neuter ergo debitum reddere potest, donec adhibitâ, quæ par est, diligentia, suum exuerit dubium.

Resp. 3^o. Si Matrimonium consummatum subsecuta fuerit gravis dubitatio, & post seriam inquisitionem perseveret, inter se dissident Theologi. Alii cum Pontas (ad verbum *devoir*, cas. 17.) contendunt tunc abjiciendum esse dubium tanquam inane, & debitum exigi posse. Alii verò existimant eandem esse dubii verè permanentis ac nascentis rationem, Unde, juxta ipsos, debitum

reddi quidem debet conjugi qui non dubitat, at illud ab eo exigere non licet. Quæ opinio & tutior videtur & probabilior.

1^o. Enim nemini licet manifesto fornicationis discrimini sese exponere: atqui debitum exigendo, in illud periculum sese conjiceret, qui post seriam investigationem dubitare pergit, an, v. g. prima uxor sua verè mortua sit. Graviter enim incertus est an sua sit ea ad quam accedit, siquidem totum quod instituit examen, ipsius dubium nulla ex parte imminuit.

2^o. Juxta D. Pontas & alios, qui adhibitâ sufficienti inquisitione, rei veritatem assequi non potuit, ideò suam dubitationem, ut vanam, abjicere potest, quia eum ab omni peccato excusat ignorantia invincibilis: atqui hæc ratio, inquit D. Collet, nulla est, & in ambiguo ludit. Qui enim, rebus maturè excussis, dubitare pergit, veritatem ignorat quidem, cum nesciat, v. g. an reipsâ prior conjux obierit; sed eum invictè non latet peccandi periculum cui sese objicit; graves quippè ob rationes incertus est annon vivat prima uxor.

Hinc colliges, si in eodem dubio versentur ambo conjuges, neutri licitum esse debitum reddere.

P A R S II.

De Sacramento Matrimonii.

DE præsentis argumento quatuor erunt capita: in 1^o. utrum admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum expendemus; in 2^o. de illius materia & forma; in 3^o. de Mi-